

## PECULIARIA INSTITUTI A SANCTO IGNATIO DE LOYOLA CONDITI

SUMMARIUM. Puncta quindecim essentialia quibus Institutum Societatis ab aliis Religionibus differebat, exponuntur iuxta scriptum P. Suarez tributum, quibus et quoddam commentum «Formulae Instituti» a PAULO III confirmatae habetur. Scilicet ratione 1. finis Societatis, 2. graduum in eadem, 3. muneris Praepositi Generalis, 4. quarti voti oboedientiae S. Pontifici, 5. varietatis votorum, 6. sensus «missionis» a superioribus, 7. diversi regiminis interni pauperitatis, 8. etiam in Collegiis, 9. peculiaritatis votorum post novitiatum, 10. varietatis pertinentiae ad corpus Societatis, 11. potestatis Congregationum (seu Capitulorum) Generalium, 12. necnon potestatis Praepositi Generalis eiusque electionis, 13. absentiae chori, 14. et proprii habitus, vel modi praescripti agendi in externis, 15. annorum probationis. Indicatur ubinam «substantialia» Instituti S.J. reperire liceat et quanti intersit hodie eorum studium.

Post 500 annos ab ortu fundatoris, et anno 450<sup>o</sup> a solemni approbatione eius Instituti (mediante bulla «Regimini militantis Ecclesiae» 27 septembris 1540) recenter commemorato, mihi oportunum visum est commentaria quaedam circa ineditum a me in lucem datum anno 1975 in «Archivo teologico granadino» nunc proponere. Agitur enim, ut ibi legere licet de mente SUAREZII circa quindecim puncta essentialia Instituti Societatis Iesu in quibus id differt ab aliis Ordinibus religiosis. Sic itaque examinabimus peculiariora quaedam, et suis temporibus valde nova, a Societatis Iesu fundatore in ius vitae religiosae allata,

simulque aliquam explicationem suarezianam ad Formulam Instituti Societatis Iesu proponemus<sup>1</sup>.

1. Primum discrimen a SUAREZIO notatum in fine proprio Societatis Iesu invenitur: *Quia Societas habet praefixum suum finem vitam activam et contemplativam simul, propriam et proximorum salutem et perfectionem*<sup>2</sup>.

Ut nota peculiaris Societatis Iesu capi possit animadvertendum est praesertim verbum «simul» et explicandum deinde cur finalitas dicatur simul activa et contemplativa, quia dedicatio Societatis Iesu membrorum simultanea esse debeat, et saluti (et perfectioni) propriae et saluti (et perfectioni) proximorum. Sicut sanctus Ignatius in *Examine* scripsit, ut ab initiis in mentibus candidatorum insculptum sit: «*Finis huius Societatis est non solum saluti et perfectioni propriarum animarum cum divina gratia vacare, sed cum eadem impense in salutem et perfectionem proximorum incumbere*»<sup>3</sup>.

---

<sup>1</sup> ¿Un escrito inédito del P. Suárez?, in *Archivo teológico granadino* 38 (1975) 225-237. Etiam si in codice originali scriptum FRANCISCO SUAREZIO tribuitur, non excluditur illud solum opus cuiusdam compilatoris operis SUAREZII «De Religione S.I.» esse, qui haec 15 puncta ad explicationem Instituti S.I. ab illo extraxit. Scriptum nostrum sic incipit: «Formula Instituti Societatis Iesu declarata a P. SUAREZ per 15 puncta essentialia ad disparitatem aliorum Ordinum Religiosorum», et servatur in Clm 26489, Bayerische Staatsbibliothek München. De datatione (c. finem s. XVII) et de natura codicis egimus in art. cit.

<sup>2</sup> ¿Un escrito inédito...?, p. 232.

<sup>3</sup> *Const.*, n. 3: «El fin de esta Compañía es no solamente atender a la salvación y perfección de las ánimas propias con la gracia divina, mas con la misma intensamente procurar de ayudar a la salvación y perfección de las de los prójimos», in textu originali in lingua hispana. In Formula autem sic exprimitur finis

SUÁREZ commentatur hanc peculiaritatem Societatis affirmans alios Ordines religiosos, mendicantes etiam, hunc finem intendere, sed non ponentes in eo «*totum religionis pondus*»<sup>4</sup>. Aliis verbis: «...*non principaliter..., sed valde secundario et quasi ex abundanti, ut sic dicam*»<sup>5</sup>. Atque inter Ordines quoque clericalem regularium nullus «*ex speciali instituto et obligatione ordinatur ad actiones clericatus quae specialiter circa proximos versantur, sed peculiariter ad eas quae ad cultum divinum pertinent*»<sup>6</sup> Secus Societas Iesu «*totum religionis pondus ad hunc finem ordinatur*»<sup>7</sup>; quia, ut ipse SUAREZ saepe repetit, Societas «*principaliter (non solum quasi ex abundanti, vel quasi per redundantiam et extensionem, nec minus principaliter vel secundario) ordinatur ad propriam et proximorum perfectionem*»<sup>8</sup>. Equidem in eo ipso habet modum specificum maiorem Dei gloriam procurandi.

SUAREZ adhuc addit eandem peculiarem notam commentando, ideo Societatem esse «per se» apostolicam, eo quod «proprie et per se» ad apostolatatum

---

Societatis Iesu: «...*ad hoc potissimum institutae ut ad fidei defensionem et propagationem, et profectum animarum in vita et doctrina christiana per... intendat*» (c. 1). Certe includitur intentio obtinendi perfectionem christianam mediante professione consiliorum evangelicorum solemnium, de qua immediate antea dicitur, cum addatur membra Societatis aliud non intendere nisi «*soli Domino ac Ecclesiae Ipsius Sponsae, sub Romano Pontifice, Christi in terris Vicario, servire*»; sed explicite affirmatur scopus apostolicus supra dictus.

<sup>4</sup> *De Religione S.I.* lib. I, c. 2, p. 17: referemus semper ad editionem a P. GÉAU DE REVERSEAUX paratam, F. SUAREZ, *De Religione S.I.* (Bruxelles-Paris, 1858).

<sup>5</sup> *Ib.*

<sup>6</sup> *Ib.*, p. 16.

<sup>7</sup> *Ib.*, p. 16.

<sup>8</sup> *Lib. I*, c. 6, p. 43.

intense exercendum est fundata, totaliter consubstantiatam cum missione stricte apostolica<sup>9</sup>. Et, si quaeritur quomodo Societas tam intensae actioni «*simul cum contemplatione*» satisfacere possit, respondet: quia habet gratiam vocationis ad hunc statum vitae a Deo concessam, in quo actiones praecipuae quibus applicari debet «*ita sunt coniunctae cum vita contemplativa, ut veluti ex corpore et animo, unum quid ex illis efficiatur*»<sup>10</sup>.

Adderem quia cum mystica ignatiana essentialiter unionem cum Deo per voluntatem Dei in praxim reducendo specialiter quaerat, caritas quam iesuita exercebit tempore orationis formalis exercendae non maior erit quam ea quae tempore apostolicae activitatis, eo quod in hac ultima non propriae sed Dei voluntati conscie adhaereat et complere intendat. Ideo SANCTUS IGNATIUS

*«hunc spiritum volebat in Societate, ut socii, in quantum possibile, non minorem invenirent devotionem in aliis operibus caritatis et oboedientiae, quam in oratione et meditatione; nam nihil agere debent nisi ob amorem et servitium Dei et Domini nostri, et in hoc debeat unusquisque magis esse contentus quod ei iubetur facere, quia in eo voluntati Dei conformari dubitare non potest»*<sup>11</sup>.

2. Alterum discrimen inter Societatem Jesu et Alios Ordines consistit «*in dispositione et directione conditionum et graduum in Societate*»; nam «Scholastici» gradum definitivum nondum habent. Sed de his scriptum a nobis commentatum impraecisionem demonstrat, cum addat: «*Sed sunt semper in probatione*

---

<sup>9</sup> Lib. I, c. 2, pp. 9-18.

<sup>10</sup> *Ib.*, c. 6, p. 46.

<sup>11</sup> MI, *Epp.* 3, 502.

*donec disponantur ad gradum Professorum vel ad Coadiutorem formatum aut temporalem aut spiritualem»<sup>12</sup>.*

Scholasticus in Societate non est re vera in probatione ut Coadiutor Spiritualis vel Temporalis fiat, sed solum ut inter Professos vel Coadiutores Spirituales admittatur. Congregatio Generalis IV (1581) declaravit indeterminationem candidatorum, in hoc quod ad gradum Scholastici aut Coadiutoris Temporalis attinet, cum biennio novitiatus finiendam esse<sup>13</sup>.

Recte quidem SUAREZ aiebat admissionem Scholasticorum in Societatem esse modum quendam medium, quia Scholasticus S.I. nondum est «*in ultimo perfectae unionis, quam cum corpore Societatis habere potest, sed adhuc in ordine ad illum aliquo modo in probatione manet*»<sup>14</sup>.

Hic autem admissionis modus, mediantibus votis simplicibus sed perpetuis, quibus religiosus iam constituitur<sup>15</sup> quin ad ultimum et definitivum gradum unionis suae cum Societate constituatur, non exsistebat in praecedentibus Institutis religiosis.

**3.** Est aliud discrimen in eo quod Generalis Societatis sit eius *unicum et supremum et universale caput*, et ipse «*habet potestatem ad directionem super, qua late patet, Societatem*»<sup>16</sup>.

<sup>12</sup> ¿Un escrito inédito...? (nt. 1), p. 232.

<sup>13</sup> *Institutum S.I.* (Florentiae, 1892-93) II, 259, 541.

<sup>14</sup> *De Religione S.I.* lib. III, prooemium, p. 108.

<sup>15</sup> In bullis GREGORII XIII «Quanto fructuosius» (1583) et «Ascendente Domino» (1584) aperte et solemniter declaratur natura iuridica horum votorum religiosos constituentium, *Institutum S.I.* I, 89, 92.

<sup>16</sup> ¿Un escrito inédito...? (nt. 1), p. 233.

Formula Instituti S.I. (cc. 1 y 3)<sup>17</sup> Generali tribuit omnem auctoritatem ad admissionem, correctionem et gubernium totius corporis Societatis convenientem, scilicet: ad graduum et officiorum distributionem, admissionem membrorum eorumque dimissionem, collegiorum gubernium etc. Alii Superiores provinciales et locales ea gaudebunt auctoritate quam Generalis illis distribuet<sup>18</sup>.

In Ordinibus religiosiis praecedentibus regimen vigeat plus foederale, in quo Abbatiae, Conventus, et Provinciae maiore gaudebant autonomia, sive ad electionem eorum Superiorum, sive ad administrationem et gubernium.

4. Notabile discrimen adhuc observari licet in quarto et solemni voto obedientiae Professorum Societatis, quo unusquisque «*se obligat iuxta Regulam Summo Pontifici*»<sup>19</sup>.

In hoc puncto operis scriptum nostrum non declarat explicitè obiectum quarti voti Professorum in Societate Iesu, solum determinat eius ambitum cum verbis «iuxta Regulam». Regula autem in Societate Iesu proprie dicitur «Formula Instituti», in qua obiectum obligationis quarti voti Professorum sic declaratur:

*«Ut quidquid modernus et alii Romani Pontifices, pro tempore existentes, iusserint ad profectum animarum et*

---

<sup>17</sup> Paragraphos Formulae referimus ad numerationem in *Obras completas de S. Ignacio* (BAC, Madrid)<sup>4</sup> adhibitam, quae correspondentiam comprobare permittit cum capitibus quinque ipsius «Summa Instituti» a sociis sancti Ignatii PAULO III (1539) exhibitae.

<sup>18</sup> Cf. *Const.*, parte IX, c. 3.

<sup>19</sup> ¿*Un escrito inédito...*? (nota sup. 1), p. 233.

*fidei propagationem pertinens, et ad quascumque provincias nos mittere voluerint, sine ulla tergiversatione aut excusatione illico, quantum in nobis fuerit... exequi teneamur» (c. 2).*

Causa motiva sic exprimitur: «...ob devotionem tamen maiorem ad oboedientiam Sedis Apostolicae, et maiorem voluntatum nostrarum abnegationem, et certiores Sancti Spiritus directionem» (ib.), in missionis electione cui accurramus, ut in parte VII *Constitutionum* amplius declaratur<sup>20</sup>.

Alia Instituta religiosa non faciebant hoc quartum solemne votum. Et si aliqua Instituta tunc emittebant, aut emittunt hodie quartum aliquod votum ultra tria substantialia vota religionis, hoc quartum solet esse specificativum propriae vocationis et eorum generis vitae in Ecclesia, exempli causa, votum hospitalitatis Fratrum sancti Ioannis a Deo vel circa educationem puerorum inter religiosos Scholarum Piarum etc. Votum autem professorum S.I. circa missiones Summi Pontificis est votum peculiare Instituti ignatian<sup>21</sup>.

5. Aliud discrimen invenitur in *varietate votorum quae in Societate Iesu emittuntur*. In descriptione vero eorum auctor noster non limitatur ad vota quae in Formula Instituti S.I. invenire licet (cc. 1, 2 et 5), sed includit alia quae solum in *Constitutionibus S. I.* specificantur.

Primum genus omnium *vota sunt devotionis* (de quibus non agitur in Formula), quae iuxta *Constitutiones* possunt emittere novitii qui se privatim obligare

<sup>20</sup> Cf. nn. 603, 605.

<sup>21</sup> Cf. J.G. GERHATZ, «*Insuper promitto...*». *Die feierlichen Sondergelübde katolischer Orden* (Roma, PUG, 1966, Analecta Gregoriana 153).

desiderant<sup>22</sup>. Ea tamen non constituunt emittentem in statu religioso. Dein, vota *simplicia et perpetua ad finem novitatus emissa*, quae religiosos constituunt ea muncupantes (cf. n. 2). Et additur hic: «*ut in aliis Ordinibus religious est professio, tamen, haec vota possunt solvi in Societate*»<sup>23</sup>.

Sunt etiam in Societate vota quibus aliqua membra in Ordinem admittuntur ad gradum Coadiutoris Spiritualis aut Temporalis:

«*Sunt vota publica quae faciunt quidem gradum coadiutoris formati, aut spiritualis aut temporalis, in quo gradu iuxta Regulam debet quis permanere, nisi aliter, quod rarissime fit, disponderet admodum R.P. Generalis; possunt tamen haec vota publica, ideo publica dicta, quia faciunt gradum, in quo debet quis consistere, solvi in dimissione*»<sup>24</sup>.

Haec autem vota sunt religiosa simplicia, non solemnia.

Et praesertim existit in Societate Iesu *professio sollemnis*, quam solum Professi quattuor votorum faciunt. Haec autem vota, «*nunquam, licet dimittantur nostri, possunt solvi, nisi a Summo Pontifice*»<sup>25</sup>.

Talis varietas in modo incorporandi membra et in ipso votorum genere non exsistebat in aliis Institutis, est itaque nota peculiaris quaedam Instituti Societatis Iesu pluries et solemniter a Sancta Sede confirmata<sup>26</sup>.

De his omnibus votis scribit «Formula Instituti», exceptis votis devotionis. Immo, addit Generalem posse licentiam dare aliquibus iam admissis, non

<sup>22</sup> *Const.*, nn. 17, 283, 544-545.

<sup>23</sup> ¿*Un escrito inédito...*? (cf. n. 1), p. 233.

<sup>24</sup> ¿*Un escrito inédito...*?, *ibid.*

<sup>25</sup> *Ib.*, p. 233.

<sup>26</sup> Cf. notam 15 praesentis laboris.



professis, ut faciant tria sua vota solemnia, non vero illud quartum votum proprium professorum (c. 5).

6. Sextum discrimen non apparet tam essenziale ut alia, si ad verbum «missiones» non attendimus et ad amplitudinem sensus atque peculiarem implicationem eius in Societatis Iesu Instituto.

*«Societas enim professsa obligatur, iuxta professionem et proprias regulas ad doctrinam christianam explicandam et ad alia opera misericordiae exercenda ut missiones et catecheses, durante anno professionem subsequenti, ut praescribitur rectoribus collegiorum, «nisi subordinentur ad alia officia obeunda in certis circumstantiis»<sup>27</sup>.*

Minus forte videtur nobis hoc discrimen, si ad declarationem correspondentem attendimus (*Const.* n. 528). Ibi enim limitatur obligatio docendi pueros et rudes doctrinam christianam, cum affirmetur talem obligationem non superare eam quam circa alia exercitia spiritualia habemus, quibus proximos adiuvare possumus, iuxta mandatum a Superioribus acceptum. Expresse scribitur motivum de pueris docendis «*ut sancta haec exercitatio peculiari modo sit commendata,*

---

<sup>27</sup> In Formula tractatur de his ministeriis et de operibus caritatis ut de mediis quibus Societas utitur ad suum finem obtinendum. Declaratio correspondens in *Const.* (n. 528) explicat quo sensu sit intelligenda obligatio in formula professionis expressa (n. 527). Praescriptio Rectores attinens continetur in parte IV *Const.* (n. 437); et in Declaratione subsequenti (n. 438) contemplantur possibilitatem Rectori adimplendi per alium socium hanc obligationem, dum id Provinciali referat et causa sufficiens adsit. Congregatio Generalis II talem casum definivit in decr. 65, postea autem Praepositus Generalis MERCURIANUS extendit hanc normam praepositis domorum Professorum in Regulis ab ipso publice editis (1580).

*et devotius curetur propter singulare obsequium quod Deo per eam in animarum auxilio exhibetur*<sup>28</sup>.

Verumtamen quod dicitur de missionibus peculiare quoddam Societatis est, in quo differt ab aliis Institutis, quia refertur ad quartum votum professorum circa oboedientiam Romano Pontifici exhibendam; nam Superiores Societatis solum «*iuxta facultatem eis a Summo Pontifici concessam*»<sup>29</sup> (Const. n. 618) socios ad missionem mittere possunt, et votum hoc includit quasdam notas características in «*Formula Instituti*» expressas, scilicet: eundi «*ad quascumque provincias nos mittere voluerint, sine ulla tergiversatione aut excusatione, illico...*» (c. 2).

7. Differt etiam Societas ab aliis Institutis religiosiis in pluralitate regiminis paupertatis in ea existentis; diversum est enim regimen paupertatis Professorum et Scholasticorum Societatis:

*«Professae domus non habent, nec [eis] licet habere, redditus, census, fundationes, etc. et alia huiusmodi, sed vivere debent cum apostolica paupertate per eleemosynam ut Cappucini et alii Ordines Religiosi: tamen licet habere hortum, non vineas, ubi se recreent et sustentent»*<sup>30</sup>.

Non exsistebat illis temporibus aliud Institutum talem diversitatem circa modum vivendi paupertatem continens. Ratio talis regiminis in Societate quaerenda est in eo quod Societas inaugurabat novum typum religiosorum, scilicet Scholasticorum, qui diuturnis annis vitae religiosae et probationibus praeparantur ad incorporationem definitivam in Ordinem<sup>31</sup>. Occa-

<sup>28</sup> Const., n. 528.

<sup>29</sup> Const., n. 618.

<sup>30</sup> ¿Un escrito inédito...? (cf. n. 1), p. 234.

<sup>31</sup> Cf. Formula, c. 4.

sio, ut opinor, inveniendi talem typum vitae et paupertatis religiosae Ignatio et sociis data est ab eorum experientia studiorum et probationum Parisiis et Venetiis habita<sup>32</sup>.

Hanc pluralitatem in regimine paupertatis, clare iuridice expressam in «Formula Instituti» (c. 4), Pontifices S. PIUS V et GREGORIUS XIII confirmarunt, dum et declararunt Societatem Ordinem mendicantem<sup>33</sup>.

Exceptio quaedam praevидetur circa possibilitatem habendi hortum pro convalescentibus vel pro iis qui spiritualibus recollectionibus vacent, sed limitatur; *«huiusmodi ille sit ut nec aliis locetur, nec fructus, qui reddituum loco esse possint, habeat»* (Const., n. 561)<sup>34</sup>.

8. Obscurius monstratur discrimen n. 8 a nostro auctore signatum<sup>35</sup>.

Agnoscere videtur notam quamdam peculiarem Societatis Iesu *in formis paupertatis vivendae a diversis sociis qui in collegiis degunt*. Non iam solum, ut in n. 7 signata, inter Professos in domibus ordinarie degentes et Scholasticos in collegiis, sed inter Scholasticos et Coadiutores non formatos (sic credimus)<sup>36</sup> ex

<sup>32</sup> *Autobiografía*, nn. 76-78, 85, 93; M. RUIZ JURADO, *Los votos de Montmartre. Historia y espiritualidad*, in CIS 16 (1985) 28-30.

<sup>33</sup> Cf. breve «Dum indefessae» (1571) et bullam «Ascendente Domino» (1584): *Institutum S.I.* I, 47 y 91.

<sup>34</sup> Aliae determinationes et limites inveniuntur in Declarationibus (nn. 562-563). Nostris diebus hoc caput paupertatis expressionem novam accepit a Congregatione Generali XXXII (decr. 12), confirmatam dein a Pontifice Joanne Paulo II (a. 1983).

<sup>35</sup> *¿Un escrito inédito...?* (cf. nt. 1), pp. 234-235.

<sup>36</sup> Omnibus est renunciatio bonorum facienda ante admissionem ad gradum definitivum in Societate *«ante professionem*

una parte, et Professos et alios in collegio degentes ex alia. Nam Professi habere redditus nec privatim, nec in communi possunt, sed solum bonis collegiorum ad victum et vestitum necessaria uti, dum in collegiis habitant et ibi laborant in Scholasticorum beneficium. Aliis vero non habentibus nisi votum simplex biennii licet collegiorum redditus habere et eis frui; ita tamen «*ut neque studentes dictis bonis abuti, neque Societas Professa in proprios usus convertere possit, sed studentium necessitati subvenire*»<sup>37</sup>.

9. Nonum discrimen praebetur tanquam explicatio amplior illius sub n. 5 indicati. Ibi autem attentio dirigebatur ad diversitatem votorum intra ipsum Institutum Societatis admissorum, hic vero ad *peculiarem typum votorum quae post biennium novitiatus emittuntur*. Similiter ac professio in aliis Institutis haec vota religiosos constituunt ea facientes, etiamsi simplicia sint; et tamen hi religiosi adhuc manent ut Scholastici vel Coadiutores non formati in Societate. Scholastici «*tamen manent per 16 vel 17 annos in probatione, donec suum gradum, in quo debent consistere iuxta Regulam, suscipiant*»<sup>38</sup>.

Ut iam antea notavimus haec religiosorum figura est nova. Invenitur in «Formula Instituti» S.I. et fuit

---

*professi, et ante tria vota publica coadiutores» (Const., n. 54), etiamsi «post unum ab ingressu absolutum annum, quandocumque per Superiorem iniunctum ei fuerit in reliquo temporis probationis» promptus unusquisque esse debet ad eam renuntiationem faciendam (Ibid.).*

<sup>37</sup> *Formula*, c. 4. Ampliores explicationes de modis diverse vivendi paupertatem in collegio, et de cautionibus a SANCTO IGNATIO adhibitis ut omnis possibilitas relaxandi paupertatem vitetur, videre licet in *Const.*, nn. 326-330, 421-422, 557-560, 570-572.

<sup>38</sup> ¿*Un escrito inédito...?* (cf. nt. 1), p. 235.

iuridice confirmata a bullis «Quanto fructuosius» et «Ascendente Domino».

Cum in Societate Iesu saltem per 7 annos studiis philosophiae et theologiae vacare Scholastici debuerint, ultra quos alios forse repetitioni vel gradibus obtinendis, vel docentiae vel quibusdam aliis exercitiis apostolatus, atque tres annos probationibus addere necesse sit, solum post 16 vel 17 annos vitae religiosae ad gradum definitivum in Societatem admittuntur. Ecce alia peculiaritas propria Ignatiani Instituti.

**10. Diversitas votorum secum fert in Societate diversitatem graduum, seu diversas formas Societati appartenendi.**

*«Dum nostri disponuntur ad gradum vel coadiutoris formati aut spiritualis aut temporalis, prout in Domino videbitur et Superiores iudicabunt, vel ad gradum professionis, quislibet debet in suo gradu iuxta Regulam remanere, et se in eo perfectum efficere, nisi aliter vellet ipsemet R.P. Generalis»<sup>39</sup>*

Haec diversitas graduum in «Formula Instituti» est expressa, non solum a diversitate votorum implicite (praesertim c. 5), sed etiam explicite (c. 1) cum omnes ad obtinendum finem a Deo eis propositum exhortatur, «*unusquisque tamen secundum gratiam sibi a Spiritu Sancto subministratam et vocationis suae proprium gradum.*». Et immediate post asseritur: «*...proprii cuiusque gradus iudicium, et officiorum discretio ac distributio tota sit in manu Praepositi Generalis seu Praelati.*».

---

<sup>39</sup> ¿Un escrito inédito...?, p. 235.

In parte V *Constitutionum* SANCTUS IGNATIUS describet clarius et adamussim ideam architectonicam secundum quam totum corpus Societatis organizatum concipitur. Figura tota circulis concentricis successivis, alio in aliis incluso, adumbratur; quisque vero circulus novum et strictiorem modum ad Societatem pertinendi indicans. Primus et exterior eorum est circulus qui ad probationem admittuntur (etiam ii, oboedientiae substant Superioris Generalis). Alter vero Scholasticorum est (vel Coadiutorum) qui iam fecerunt vota biennii: hi quidem strictius ligantur Societati et ad eam interius pertinent. Tertius eorum est qui gradum iam receperunt Coadiutorum, sive Spiritualium sive Temporalium: hi autem admissi iam sunt in Societatem ad gradum definitivum etiam si votis simplicibus solum, indeque solubilibus a Societate. Ultimus autem circulus et intimior est quartus: *«Quarta huius nominis Societatis acceptio, et maxime propria, Professos dumtaxat continet; non quod eius corpus alia membra non habeat, sed quod hi sint in Societate praecipui»* (n. 511).

**11.** Undecimum discrimen advertitur in speciali potestate Congregationum Societatis Generalium. Nam hae possunt, si hoc in certis adiunctis conveniens in Domino iudicatur, etiam Generalem ipsum depocere et alium eligere: *«Quia omnis potestas exiit a Congregationibus Generalibus, conclusiones et rescripta et epistolae generales in Congregatione sub Patribus congregatis sunt affirmatae»*<sup>40</sup>.

---

<sup>40</sup> Congregatio Generalis VII (1615-1616) responsum dedit quaestioni utrum ordinationes Generalis defuncti, eius responsiones ad Provincias, communicationes et gratiarum concessionem etc. vigerent post eius mortem, etiam sine Congregationis approbatione, an post mortem Generalis exspirarent. Responso autem

Iuxta «Formulam Instituti» S.I. (c. 1) potestas leges ferendi in rebus gravioribus et perpetuis in Generali «*de consilio consociorum*»<sup>41</sup> residet, atque hic intelligitur consilium: «*maior pars totius professae Societatis (iuxta Constitutionum nostrarum declarationem)*»<sup>42</sup> *quae sine magno incommodo potest a Praeposito convocari*. De casu speciali Generalis deponendi agitur in *Constitutionibus* (nn. 718, 773-788, 820), non in «Formula».

Attamen de Generali post electionem dicitur:

*«...adiutus, quatenus ipse opportunum iudicabit, fratrum suorum consilio, per se ipsum ordinandi et iubendi, quae ad Dei gloriam et commune bonum pertinere in Domino videbuntur, ius totum habeat, prout in Constitutionibus eisdem explicabitur»*<sup>43</sup>.

**12.** Additur etiam peculiaris potestas Generalis electi in Societate Iesu.

*«Discrimen est in electione R.P. Generalis sub Congregatione Generali, ubi P. Generalis non habet potestatem successoris suo cuicumque generalatum resignandi, nec habent potestatem Provinciales, Assistentes, Visitatores, Rectores, Procuratores Generalem eligendi, sed debet fieri electio in Congregatione sub Patribus Congregatis. Generalis autem habet potestatem directionis et dispositionis omnium aliorum Superiorum»*<sup>44</sup>.

---

sic fuit: «*Eamdem vim habere, quam vivo Generali habebant, donec a successore revocentur*», *Institutum S.I.*, II, 336.

<sup>41</sup> «*Maiori suffragiorum parte semper statuendi ius habente*», ut exactius loquamur.

<sup>42</sup> Cf. *Const.* n. 715 et totum c. 7, partis VIII.

<sup>43</sup> «*Formula*», c. 1; cf. *Const.*, parte IX, c. 3: habemus hic unam ex pluribus occasionibus demonstrantibus «*Formulam*» solam non continere res omnes essentielles Instituti Societatis, sed complendam esse *Constitutionibus* ignatianis, cf. notas 15, 16, 30, 32.

<sup>44</sup> *¿Un escrito inédito...?* (cf. nt. 1), pp. 235-236.

Generalis potestate ordinaria in Societate dotatur. Alii Superiores eam auctoritatem habebunt quam a Generali accipient. Solius Congregationis Generalis est in ordinariis adiunctis Generalem eligere. Generali autem electo negatur potestas renuntiandi officium eius in aliud membrum Societatis, quia id equivaleret novi Generalis electioni, quae iuxta Formulam (c. 3) fieri debet a maiore parte suffragiorum, prout in *Constitutionibus* declaratur<sup>45</sup>. Ibi definitur potestas Congregationis Generalis, et describuntur officiales ab ipsa eligendi ut Generalem adiuvent in officio atque de eo curent, raras occasiones in quibus Congregatio convocanda et a quo debeat convocari. Congregatio autem soluta perdit omnem suam potestatem usque ad novam aliam Congregationem<sup>46</sup>.

Cum de electione Generalis in *Constitutionibus* agitur, asseritur tamen illud: «*Qui vero fuerit electus nec electionem, nec exhibitam (ab electoribus) reverentiam memor Cuius nomine eam admittere debet, recusare poterit*»<sup>47</sup> (n. 701).

**13.** «*Societas nullum habet chorum*». Haec nota Societatis propria, stricte exceptionalis illis temporibus, ansam magnae oppositioni praebuit etiam aliquorum Pontificum, etsi eorum Successores peculiari-tatem Instituti ignatiani denuo confirmarunt<sup>48</sup>. Agitur

---

<sup>45</sup> *Const.*, parte VIII, cc. 2-6; cf. et partem IX, nn. 757-762, 778.

<sup>46</sup> SUAREZ, *De Religione S.I.*, lib. X, c. 4, pp. 553-557.

<sup>47</sup> Versio latina officialis haec est: «Qui vero electus fuerit nec electionem, nec exhibitam reverentiam, memor cuius nomine eam admittere debet, recusare poterit».

<sup>48</sup> PAULUS IV (1558) et S. PIUS V (1566) Societati obligarunt ad chorum quodammodo introducendum in eius Institutum. Sed PIUS IV (1559) et GREGORIUS XIII (1753) Societatis Iesu Institu-



enim de uno ex essentialibus punctis Societatis Iesu Instituti, et quidem unum ex iis quae ampliore tractatione gaudent in NADAL opere *Scholia in Constitutiones S.I.*<sup>49</sup>. «Nulla est obligatio, legitur in scripto a nobis hic commentato, *breviarium cantandi nec orandi, nisi qui sunt Sacerdotes ob bullas Pontificum et statum sacerdotalem*<sup>50</sup>.

Haec ultima paragraphus nullo modo excludere intendit obligationem clericorum, etiam ante sacerdotium iuxta legem universalem Ecclesiae, officii Divini recitandi. Aliunde in bullis approbationis Societatis Iesu explicite constat obligatio recitandi Officium privatim, et non communiter. Sic in 'Formula': «...*ad dicendum Officium secundum communem Ecclesiae ritum, sed privatim et non communiter vel in choro, teneantur*» (c. 5).

14. Aliud discrimen inter Societatis Iesu et aliorum Ordinum Instituta apparet in eo quod *Societas non habeat habitum specialem a Regula praescriptum, et generatim in modo externo vivendi et agendi*. Ita scriptum nostrum asserit: «*Dum ab exortu Societatis omnes Sacerdotes sic vestiebantur, uti nunc nos*». Et addit hanc informationem: «*In Lusitania geruntur vestes rubrae et sic de aliis, quia nulla lex est in Societate*»<sup>51</sup>.

«Formula Instituti» S.I. sic affirmat:

*«In iis quae ad victum, et vestitum et caetera exteriora pertinent, honestorum sacerdotum communem et approba-*

---

tum ad eius integram puritatem restituerunt: cf. J. NADAL, *Scholia*, nt. 586, pp. 305-311; et bullam «Ex Sedis Apostolicae», *Institutum S.I.* III, 54.

<sup>49</sup> Ed. critica (Granada, Facultad de teología S.I., 1976), pp. 162-167, 436-438.

<sup>50</sup> ¿Un escrito inédito...? (cf. nt. 1), p. 236.

<sup>51</sup> ¿Un escrito inédito...?, p. 236.

*tum usum sequentur, ut quod inde, pro cuiusque necessitate vel spiritualis profectus desiderio, subtractum fuerit, ex devotione et non ex obligatione, rationabile obsequium corporis Deo, prout expedit, offeratur» (c. 5).*

Non excludit quamdam diversitatem inter membra Societatis, tanquam obsequium «rationabile» Deo factum, non ex obligatione sed ex devotione. Immo, in *Constitutionibus S.I.* ita declaratur criterium circa vestitum iuxta quod membra Societatis duci debent:

*«...ut honestus ille sit; ut ad usum loci in quo vivitur accommodatus; tertium, ut paupertati professioni non repugnet. Videretur autem repugnare si sericis vel pretiosis pannis uteremur; a quibus abstinendum est, ut in omnibus humilitatis et submissionis debita ad maiorem Dei gloriam ratio habeatur» (n. 577).*

Omnia haec semper supponunt vestem clericalem esse, id est, «honestorum sacerdotum», iuxta verba a «Formula» adhibita (c. 5), de quibus studium edidit cl. DORTEL-CLAUDOT<sup>52</sup>.

**15.** Ultimum discrimen animadvertitur in annis ad probationem a Societate Iesu designatis. *Ultra duos annos probationis in novitiatu*, post quos aliquo modo in probatione religiosus Societatis manet usque ad gradum definitivum recipiendum, *additur tertius annus probationis*. In eo autem, iesuitae, antequam definitive recipiantur, «se exercere debent in omnibus functionibus tam spiritualibus quam corporalibus ut novitii in prima probatione»<sup>53</sup>.

---

<sup>52</sup> *Le genre de vie extérieure de la Compagnie de Jésus* (Roma, PUG 1971); et cf. aliqua ad perpoliendum ab ipso auctore addita in *Archivum Historicum S.I.* 43 (1974) 341-342.

<sup>53</sup> ¿Un escrito inédito...? (cf. nt. 1), p. 237.

Proprius et exactius diceretur, «*ut novitii in prima et secunda probatione*», nam novitiatus non est prima probatio Societatis. Prima Societatis probatio dicitur spatium aliquot dierum, quod candidatus in loco ad id destinato, antequam ad communem habitationem cum novitiis ingrediatur, transire debet (*Const.*, nn. 197-200). In «Formula» S.I. non exprimebatur tempus exactum probationibus destinatum, sed in genere dicebatur: «*Ne quis ad professionem in hac Societate emittendam nisi diuturnis et diligentissimis probationibus (prout in Constitutionibus declarabitur), eius vita et doctrina explorata fuerit, recipiatur*» (c. 5).

SUÁREZ advertit singularitatem Societatis Iesu, sive in diuturnitate novitiatus, sive in tertio anno probationis post studia confecta<sup>54</sup>. Hanc autem peculiaritatem defendit argumentando ex approbatione Societatis Iesu a Concilio Tridentino facta (sess. 25, c. 16) et ex bullis «Quanto fructuosius» et «Ascendente Domino»<sup>55</sup>.

### *Sensus scripti nostri.*

Hoc compendium peculiaritatum Instituti Societatis Iesu aptum videtur ad explicationes pro novitiis et forse aptius pro patribus Tertiae Probationis. Utile namque est ut per comparisonem ad alia Instituta specificitatem proprii dignoscatur. Praeterea in eo continentur quasi omnia puncta sic dicta substantialia (vel essentialia Instituti) in lege interna Societatis Iesu.

Iam inde a Congregatione Generali I (1558) ad fidelitatem in posterum servandam erga propriam

<sup>54</sup> *De Religione S.I.*, lib. VI, Prooemium, p. 303.

<sup>55</sup> *Institutum S.I.*, I, 88-98; SUÁREZ, *De Religione S.I.*, lib. II, c. 4, p. 96; lib. VI, cc. 1-2, pp. 303-317.

identitatem circa res substantiales Instituti Societatis Iesu decretum est:

*«Non solum in universum non esse agendum, sed nec particulatim, de Constitutionibus substantialibus nostri Instituti. De aliis posse quidem tractari, sed sine experimento et ratione clarissima nihil posse immutari»<sup>56</sup>.*

Eodem modo in Congregatione Generali II (1565) eadem cura manifestata est<sup>57</sup>. Et iterum in Congregatione IV (1581), prohibens quod in Congregationibus Provincialibus ageretur quidquam *«contra essentialia Instituti et Constitutionum Societatis»* (decr. 26). In Congregatione Generali V (1594) quaesitum est ut declararentur *«quae sint substantiaalia nostri Instituti»* et sic tandem definitum est:

*«Ea in primis sunt [substantiaalia], quae in Formula seu Regula Societatis, Iulio III, Summo Pontifici proposita, et ab eo aliisque eius successoribus confirmata, continentur. Deinde ea, sine quibus illa, aut nullo modo, aut vix constare possunt, cuiusmodi sunt:...»*

et immediate citantur alia quinque puncta *«substantiaalia secundi ordinis»* postea dicta<sup>58</sup>.

---

<sup>56</sup> *Institutum S.I.* II, 162: decr. 16.

<sup>57</sup> *Id.*, p. 195: decr. 6. Et in decr. 7, ad determinanda suffragia necessaria ad legem sancendam, stabilitur: «Satis fore ad quidvis ex gravioribus decernendum, plus quam mediam partem eorum, qui legitime congregati sunt in Generali Congregatione, dummodo non agatur de iis, quae pertinent ad substantiam nostri Instituti. De rebus minus gravibus, ad plura suffragia definire posse Congregationem», *Ibid.*

<sup>58</sup> Decr. 58: *Institutum S.I.* II, 282-283. His substantialibus punctis demonstratur res pertinentes ad «codicem fundamentalem» Instituti hodie a can. 587 volitum non contineri omnes in «Formula Instituti» S.I. sed complendas esse *Constitutionibus ignatianis*.

Alia declaratio magis singillatim facta «*de substantialibus primi et secundi ordinis*», a Congregatione Generali XXVII (1923) ordinata, edetur in libro *Collectio decretorum*<sup>59</sup>. Non tractabo hic de illa distinctione. Id exularet a proposito huius commentarii; sed oportuum censui haec «15 puncta essentialia» collocare in contextu autenticitatis et fidelitatis erga essentiam proprii Instituti. Haec punta essentialia et declarationes de substantialibus hic adductis clare demonstrant res Societatis Iesu, quae ad «codicem fundamentalem» pertinent iuxta can. 587 hodiernum, non contineri omnes in «Formula Instituti» S.I., sed requirendas esse in *Constitutionibus* ignatianis.

Scriptum suarezianum hic examinatum, sicut aliunde Congregatio Generalis V, non intendebat exhaustire punctorum essentialium Instituti enumerationem, sed ea extollere praesertim quae ad discrimen cum aliis Institutis inservirent. Sed unum solum considerat, postea inter substantialia secundi ordinis inclusum, scilicet, tempus biennii ad novitiatum destinandum. Continet tamen quasi omnia quae «*substantialia primi ordinis*» dicuntur<sup>60</sup>.

In genere, scriptum nostrum compendium satis validum considerari potest ad singularitatem ignatiani Instituti demonstrandam. Reducere id in memoriam

---

<sup>59</sup> Cf. Acta Romana S.I. 4 (1924) 32-35; cf. ed. Romae, 1961, pp. 11-16.

<sup>60</sup> «*Collectio decretorum*», 13a. Videre licet punctum inter substantialia primi ordinis, nomen Societatis Iesu, non enumeratum, forse quia nimis evidens ad discrimen ab aliis Ordinibus; sed etiam deest «rationem gubernandi esse paternam», fortasse quia discrimen clarum ab aliis non affert. Reliqua videntur satis citata, etsi non tam explicite ut fit in libro «*Collectio decretorum*». Scriptum nostrum aliunde, ut notavimus, moram facit in declarandis punctis per aspectus non tam essentielles aliquando.

hac occasione V centenarii ignatiani non solum adiu-  
vare potest ad fidelitatem et autenticitatem erga  
fundatorem Societatis Iesu, sed ad studia historiae  
religiosorum iuris illuminanda. Haec «XV puncta  
essentialia» honorant sanctum qui illa concepit ad  
maiores Dei gloriam et eius Ecclesiae in haeredita-  
tem reliquit.

MANUEL RUIZ JURADO, S.J.